



# HYPERCHEM.

**E**SSe nos vel hoc ipsum declarat quod vel esse, vel non esse existimamus. Quod si sumus sunt, & alia omnia, & cum sumus necessario sumus: ita æterna cum semper sint. Velut potentia necessario semper sunt, atque ideo neque futurum in his est neque præteritum. Velut enim illi qui extra rotam est, tota est præsens, qui intra pars absconditur, pars noua exoritur, ita & æternis vnum est, idem semper esse necessarium. Aut ergo nil esse aut ipsum esse necesse fuit, nam si non fuisset, per quid potuisset restitui? Quid ergo in causa fuit vt necessario esset, non autem non esset? nam videtur hoc axioma habere causam quodcumque est saltem coniunctam. Causa est igitur quoniam non esse non est, sed solum id imaginatur mens: est enim esse vbique: & omnia iam sunt. At si non est non esse, palam est vbique esse & semper: & hoc infinitum tum quod est corporeum quam quod incorporeum. Nec est vt mente nostra regamur, cogitantibus an moueatur in instanti, quoniam infinitum circuit in tempore: vnde definierunt frustra magnitudinem. Nihil enim omnino non est. Sed supponatur, non esse aliquid, veluti later qui nunc non est, pridie autem fuit, & Socrates. Videtur igitur non esse aliquid. At non ita est, sed omnis quidem substantia manet & ad idem redit ac reuoluitur, & accidentia etiam. Quod ergo esse non esse, est quod esse non habet continuum habet tamen sempiternum. Quædam enim esse perfectum habent, & sempiternum immobile, velut Dij: quædam sempiternum, sed non immobile, velut cælum: quædam sempiternum inæquale, velut homo: quædam non continuum, velut albitudo. Quid ergo est non esse quod non inuenitur? sed hoc est minus esse certe in vno quam in alio.

2 Sed cur non omnia vnum & idem habent esse, vt sufficiat vnus Deus? Verum videtur vnum in alio esse, velut in ovo candidum luteumque, & in vtroque elementa, & in illis materia; forma, & rursus in his candor, quantitas; calor, proprietatesque, & multa forsitan alia quæ nos latent. Vt non sit hoc ipsum sine illo, nec pars eius sed productum. Si enim extenderetur quod est incorporeum fierent, multa infinita, quæ esse nequeunt. At extensionem esse necessarium erat, quamobrem alia à Deo proficisci necessarium fuit, donec ad infima veniretur.

3 At si ab infinito ad infima descendendum erat cur tam paucis gradibus, circumsciscitur hic descendus? An quoniam vbi ad corporeum ventum est iam est in vltimo esse, propterea minimum illud in multas partes

diuidi non potuit. Quærendum est quot gradibus recedat vltimum à primo, nam si infinitis infinita erunt, & quod proximum erit Deo & illi atque illi semper infinitum, sin autem numerus quidam est, omnino nihil erit proximus? Existimandum est ergo non per spatia diuidi, sed quemadmodum singuli cœli æterni sunt, non tamen incorporei, ita pluribus infinitis ac perfectis constat ordo. Velut terra æterna est, sed per partes corrumpitur, cælum rursus totum cum suis partibus æternum est, sed non incorporeum. Rursus incorporea multa æterna sunt, sed non præsentia, verum explicatam habent vt cælum æternitatem atque eo magis si vicissitudines quædam habent vt homines: quædam non vt dæmones, & rursus quædam intelligunt, quædam aliquid melius: Et quædam per se aliæ autem ex aliis. Honorabile autem est ac gloriosum, hæc intelligere magis quam prouincias præesse atque iuuenem esse.

4 Dubitabit autem quispiam, si Deus infinitus est quomodo potest aliquid esse imperfectum? tum maxime quod non esse nullum illi contrarium est. Determinant autem quidam mortem, & non esse ipsum, & minimum esse tanquam sensum delabendo potentiam, & quam vocant Hylem seu materiam primam. Sed cur hæc materia prima quis eam fecit? & cur non expleri potest perfectione quandoquidem ipsa per se vniformis sit nec perfectionem recuset, vt in humana forma? Dulce quidem sapere nec admirari, aut dolere debemus etiam si quædam non omnino cognoscerentur, sufficiat enim in huiusmodi verisimilia dixisse. Verum, vt dixi, in quantitate omnia sunt, infinita voco quantitatem substantiam quæ tota vna est, seu incorporea seu corporea, tota infinita, & in tempore: nihil enim corrumpitur, sed omnia sunt immortalia, in ordine autem est, infinitum quod omnem habet perfectionem, nihil enim ei deficit. At quæ ipsum consequuntur omnia infinita sunt, sed non omnia perfecta. Velut humana anima perpetua est, sed vicissitudine non caret, bouis autem etiam experta scientiæ, plantæ autem sensus, cælum quoque corporeum, solus Deus exactè perfectus est. Ideoque stultè dubitat, qui an infinitas sit quærit? quandoquidem omnia sint infinita. Dico terram, & non solum terram, sed hanc terram quæ eadem reuertetur? & later & statua, sed non vt artificio constantur. Hyle ergo & ipsa infinita est, sed cum sub ordine continetur, cõtingit vt esset extrema entium. Diximus enim melius esse vt essent plura quam vnum, & extenderetur, bonitas Dei: at plura infinita iuxta eandem rationem scilicet perfecta esse non poterant, igitur ordo necessarius

rius erat: atque viciniam autem Hyle: Hylem ergo Deus fecit, & complet iuxta naturam infiniti, non autem in ordine, quoniam non esset ordo si omnia æqualiter perfecta essent.

5 His igitur sic se habentibus velut astra perpetuò exoriuntur, & occidunt, nec vlla vnquam esse desinunt, ita etiam animantia, & homines omnes ad vnum idemque reuertuntur. Modo hæc in parte emicant, modo in illa descedentes ad aliam cæli regionem, vt semper maneant, non vt semper videantur. Cum enim non esse nullum sit, non potest fieri vt desinant. Philosophi non multo minus mira dicunt quam leges, vt qui nouam fieri animam in singulos dies credant: illæ mundum ex nulla materia præcedente. Sed non minus est fieri mentem quam corpus quantumvis magnum: præmitto modo quod non vnam animam, sed innumeras oriri affirmant. Quod si non è nihilo sed ex materia priore fieri, affirmant, velut ex elementis lapidis aut plantæ formam, liquet si inanimata & velut lateris quadrata, aut rubra hoc nihil esse cum maximè prope non esse sit. Si autem substantia sit iam hoc est, quod dicimus manere, scilicet animam illam nec mutari, vt æternorum aliorum nullum. Nam neque lux Solis mutatur, & si non luceat mihi, eadem enim est, profusus & omnino immutabilis. At quanto nobilior est, humana anima Solis luce: propterea diuinum quiddam est homo etiã præter cætera corporea, nullum tamen vt dixi interit. Ipsa verò contemplatio atque scientia horum, diuinum quippiam ac illustre quod nobis, in hac vita contingit maius regno ac victoriis. Verum sensibus, & inertia demum desperatione.

6 Neque illi sit iniuria, nam quod futurum non est (quandoquidem vt dixi corporea omnia quodammodo infinita sunt magnitudine, quodammodo circumscripta mensura) non est aliquid. Non est autem non esse, non igitur iniuria sit illi: Hoc enim quod non est arbitramur autem tanquam esse possit, vt filius Platonis, solum figmentum est nostrum. Vt igitur huic nulla inferatur iniuria, ita si quod sunt non esse possent, aut si aliqua denuo fierent, quandoquidem transitus esset ex eo quod non est ad id quod est, eisque non fierent iniuriam inferret, & rursus quomodo ex eo quæ non est, quandoquidem nullum est non esse, transitus fiet ad id quod est: Est enim ac si quis diceret, è Thebis venio. Quod si hoc absurdum est quoniam Thebæ nullæ sunt quantumvis fuerint, & ipse iam sit, quanto absurdus est dicere quenquam fieri, aut aliquid omnino fieri, ob hoc non male dixit Diogenes Apolloniates antiquissimus Philosophus, nihil ex eo quod non sit fieri aut resolui in id, & propterea infinitos esse existimauit Mundos quam sententiam confirmauit, trecentis viginti ferme post annis Seucippus Abdenter dicens, omnia esse infinita, & in seipsa commutari. Sed & Anaximander multo ante Seucippum tamen Diogene posterior mundos astruxit infinitos. At quanto clarius Melissus cum Parmenide, ille dicebat vniuersum hoc vnum atque infinitum esse, & ob id immutabile totum atque immobile. Quocumque enim tempore sumpto cum infinitum sit etiam si

mutari incipiat, nunquam totum permutabitur, sed minima portio mutata erit, quare melius est, totum immutabile dicere: tum præsertim quod constat cælos maximam orbis partem non mutari profusus. Sunt igitur omnia nec vllum est, non esse verum. Nam non esse Grammaticum aut asinum, aut asinum nõ intelligere, non est non esse, ad comparationem enim dicuntur. Et omnia præter Deum aliquo destituuntur, & non sunt, sed neque quod non sunt esse possunt, habent enim esse quod habere possunt nec non esse dicuntur. Nec est id non esse cum in alio sit. Homo enim non esse non dicitur quia vita non sit, sed quod habet totum, est esse enim ad essentiam, referretur. Ob id pulchrum est esse, gaudetque merito Christiani cum oritur filius, etiam si non superuiuat, est enim iam, ideò amplius non esse non potest. Quod autem moriatur parum refert, nam resurrecturus est, satis est quod compositum hoc est. Itaque hoc ipsum prope accedit ad supernaturale lumen quod ex naturali cognitum est. Lætatur ergo in his tanquam è multis muneribus propofitis distribuendis digni facti simus, vt vnum accipiamus, tam etsi danti reddere illico cogamur, dignos tamen hoc munere censuit, nam vel omnino aliàs restituere oportet.

7 Quod idem de motu dico, neque enim moueri potest, infinitum cum nunquam ad finem sit peruenturum, natura autem finem non quærit quem assequi non possit. Parmenides verò & ipse, vt habetur primo Physicorum, dicebat: si Mundus est: vnum est, at quod vnum est plura non est, Mundus igitur plura non est. At vbi plura non sunt, ibi neque motus neque mutatio est, Mundus autem vnus est: non igitur mutatur, neque mouetur. Vitiosam hanc rationem esse Aristoteles dicit: at non ita est, imò eam vitiosè redarguit in alium sensum trahens: Qualis est hic: sub vno plura continentur, vt pote sub homine Socrates, & Plato: plura quoque in eo continentur, vt altitudo corpus magnitudo, igitur multa sunt. Sed quæ Parmenides dicit, sub vno quidem perfecto, plura contineri non posse: Mundus autem perfectus, vt qui idem æterno tempore maneat, quare fieri non potest: vt sub vno multa contineantur. Sed neque in illo, partes enim potestate sunt, quod autem potestate est, actum non habet necessarium, partes igitur Mundi non sunt. Videamus hoc in homine aliquo qui vnus dici possit, an non vnus est, quia pedes habeat, & manus ac viscera, insuper animã, & corpus, & affectus, & accidentia? omnia tamen in vnum conspirant. Et sicut idem homo manet, partes autem mutantur, illæ enim actu non habent perfectum neque esse, homo autem comparatione habet, ita Mundus esse habet corporeum perfectum, estque vnus immutabilis: cætera potestate sunt, mutanturque & mouentur, vt perfectionem acquirant & esse.

8 Porro dubitatum est superius, cur si Deus infinitus est non complet, in materia perfectionem summam, velut humanam vel aliam, si qua est melior? At ratio est quoniam vasculum etiam si à mari recipiat non potest plus capere, & palea etiam si à fulgure moueatur, non potest maiorem idum facere, sed

sed potius dissoluitur: ita materia non potest recipere, nisi iuxta præparationes, vt forma formæ accedat, contractis elementis. At dices cur non hæc omnia subito, ab agente infinito? Quoniam instrumentum non potest agere: est enim materialium, & idè vis determinata, velut dixi in vasculo. Plura intelligo possunt replicari sed omnibus responsio ex iisdem parata, tum maxime ob ea quæ mox dicemus, nec hæc ad finem hunc.

9 Cur rursus si potestas est infinita, non subito mouent, vitæ voluntariæ quidem mouent, idè non in instanti cum etiam id repugnet; esset enim motum & non motum atque in vtroque loco simul. At æqualitas motus potestatem declarat infinitam. Quo circa nullum horum inferiorum æqualiter diu moueri potest. Estque signum immensi roboris æqualiter moueri, quando hoc solo non velocitate ipsa quanquam magnitudinem significet assimiletur, vitæ infinitam potestatem habentibus. Non ergo vltimam exercent vim dum mouent vitæ, fatigarentur enim. Sed ob id sic mouent quia primo motori hac ratione placent. Est autem primus motor, non Deus, quippe Deum necesse est, ab omni comparatione ad corpus absolutum esse.

10 Quid ergo est quod hoc perfectum aliud imperfectum. Quærantur asini & oves, & mures, & plantæ, non iure: nam habent esse in ordine suo, & secum coniunctam necessitatem, quia idem est, esse & quod est: est igitur ac si quis diceret, cur nunc sum? quia necessarium hoc ipsam nunc esse, atque quæ in illo cuncta. Et aqua si queratur in vasculo eum maior non sit. Cum in illo sit contingit hic error quoniam nos putamus, nosmetipsos esse priores conditione nostra, at sumus quia conditio nostra est.

11 Quærantur ergo infelices & miseri; alij dicunt, quænam igitur bonis expectatio melior? cum enim potestate sint: habeantque in rerum ordine imperfectum esse, alia quidem consequuntur necessitatem constitutionis, pro quibus inane est, quem alia subsequuntur perturbationes, & errores nostros de quibus etiam conqueri non licet: alia fortuitos euentus qui, & rari sunt, & ob id non magna indigent cura. Sed si modo necessaria est, in restitutione habetur. Bonis enim bonus animus, atque idè à perturbatione alienus, & expectatio vnde quaque melior, cuius extrema pars est, non esse vt illis optima, & interim vita perturbatione plena, & postmodum etiam ab obitu anxia, fingit æqualem conditionem in vtroque, an non duplo beatior est, vita probi? Quandoquidem æqualis est, etiam si probi omnia aduersa, improbo ex voto succedant. Sed manet & recompensatur: Non est autem opportunum, vt demonstratiuis sermonibus dubios admisceamus. An dubitas Syllam, & Marium cuncta ad ambitionem, & avaritiam trahentes, non fuisse infeliciores, quieto plebeio nil cogitante, & oves lupis? illæ semel pereunt, raro timent: illi sæpius & cruciuntur, & obeunt.

12 Quomodo autem facta sit multitudo dubitatum est, à plerisque dicentibus, quo-

niam ex vno non nisi vnum fieri potest. Et si ita, nonne videmus genito circulo bifariam statim in contrarias partes verti posse. Si ergo sphaera seu orbis gignatur, & iuxta circulum vnum moueatur, bifariam moueri poterit: atque in vtroque mota duo puncta quiescent, per quæ deducto rursus circulo fient duo alij motus, igitur ex circulo duo, ex sphaera quatuor motus fient. Si ergo corpora recta iuxta singulos motus disponantur, fient quatuor comparationes, ergo pluralitas oritur. Velut si ex A, fiat B, ex B, autem C, ex AB, D, ex C, autem A, E, ex BC, F, ex AC, G, ex ABC, B, C, H. Et rursus ex D, I. Et ex CD, K, AB, D, ex BD, E, atque ita statim in terra productione fient duodecim. BC, F, AC, G, ABC, H, D, I, CD, K, BD, L, AD, M, ABD, N, ACD, O, omnes illi qui veritatem non BCD, P intellexerunt) alia quæ mutari ABCD, Q non possunt, nam corpora mutantur, incorporea murari non possunt. An igitur par est, & melius dicere animam esse ex corpore, an corpus per animam regi. Etenim pariter in cælo dicemus illud regi, à vita non vitam è cælo proficisci: In materia enim nihil, vt dictum est, nobile aut perfectum, aut quod sit esse potest. Quicquid habet enim formam habet. Est autem forma materia licet æterna, semper in materia, vt anima vegetatrix. Duplicem autem habet actum perfectum, vt in ceruo imperfectum, vt in cerui semine. Sed forma eorum quæ non semper sunt, si modo talia inueniuntur, interim necesse est, esse tanquam in semine aliquo, aliter autem esse non potest, forma verò partium in toto, velut carnis, & ossis similiter. Quod si quis obiiciat illam generari in semine negamus: sed aduenit animæ aut formæ, vt materia noua adiciatur, quod vt dicemus, si continuata essent nihil mirum: at est fallente sensu. Mens autem in materia non est qua parte simplex est, sed iuncta tamen illi. Vnde idem homo omnia agit, & patitur. Non reminiscitur ergo post mortem instrumento illo corrupto, sed alia nouit. Non corrupti autem formam liquet, quoniam subiectum totum vnum est, ideoque vna tota, & simplex, quæ si interiret non maneret species. Videtur ergo forma aut ex infinito, prodire ordine quodam, non retrocedere ex materia quæ perfectionis est expert: quanto igitur magis anima.

13 Reuertamur ergo denuo ad primum institutum scilicet, quoniam nihil omnino interit, quod etiam arbitratur Hippocrates, sed composita dissoluntur, atque alia quidem in ea quæ mutari possunt (neque enim nos cum illo aliena dicimus, à sensu sed omnes illi qui veritatem non intellexerunt) alia quæ mutari non possunt, nam corpora mutantur, incorporea murari non possunt. An igitur par est, & melius dicere animam esse ex corpore, an corpus per animam regi. Etenim pariter in cælo dicemus illud regi, à vita non vitam è cælo proficisci: In materia enim nihil, vt dictum est, nobile aut perfectum, aut quod sit esse potest. Quicquid habet enim formam habet. Est autem forma materia licet æterna, semper in materia, vt anima vegetatrix. Duplicem autem habet actum perfectum, vt in ceruo imperfectum, vt in cerui semine. Sed forma eorum quæ non semper sunt, si modo talia inueniuntur, interim necesse est, esse tanquam in semine aliquo, aliter autem esse non potest, forma verò partium in toto, velut carnis, & ossis similiter. Quod si quis obiiciat illam generari in semine negamus: sed aduenit animæ aut formæ, vt materia noua adiciatur, quod vt dicemus, si continuata essent nihil mirum: at est fallente sensu. Mens autem in materia non est qua parte simplex est, sed iuncta tamen illi. Vnde idem homo omnia agit, & patitur. Non reminiscitur ergo post mortem instrumento illo corrupto, sed alia nouit. Non corrupti autem formam liquet, quoniam subiectum totum vnum est, ideoque vna tota, & simplex, quæ si interiret non maneret species. Videtur ergo forma aut ex infinito, prodire ordine quodam, non retrocedere ex materia quæ perfectionis est expert: quanto igitur magis anima.

14 Anima igitur in materiam inducitur palam, sed dubium videtur an reflectatur ex prioribus, vt dicunt, formis, an recta inducatur, quasi ex primo agente & materia, vt in pariete Iris ex Sole, & vtroque aqua plano. Atque hæc est summa dubitationum. Etenim si anima quidem compositum, ex immortalibus, & incorporeis, dissoluitur profecto atque ex vna plures animæ fient, sin autem simplex, manebit ipsa. Porro simplicem esse naturam,

naturam, haud dubium est, & videmus in nobis: quandoquidem nec dissoluitur, dum corpus eadem viuunt, nec sufficit ad plura simul munia, velut corpus: & nos experiamur, dum illam exercemus, in vnumquodque eorum quasi commutari. Sed enim si reflectatur, compositaque sit ex multis facultatibus, corporeis inuicem collisis, formamque vnam concipientibus: veluti caro ex elementis (quod vnum tantum dici potest) fieri necesse est, vt aliquæ vires ex his corporeæ sint, atque ita etiam intelligere: nec erit vis illa diuina, sed peruertetur ordo vniuersi. Sed si corporea sit veluti forma & adeo, omnes enim vt dixi infinitæ sunt, & ab eo proficiuntur: quid est quod nouit. Nam in hoc differunt corporeæ formæ ab incorporeis quod non cognoscunt, quid agant sed ab alio quod cognoscit diriguntur.

15 Porro singula quæque ob missionem facta sunt: sufficiebat enim mundo si mista non fuissent, cum Cælis Terra, Aqua, & Aër. At vt essent instrumenta animarum, & media inter incorporea, & corpus oportuit mista esse. At mista non poterant manere perpetuè, generationem ideo & multitudinem introducere necessarium fuit. Generatio igitur ob interitum.

16 Summa ergo dubitationis est, quid interim à nobis? an commigrandum an manendum, postquam perpetua est vita? Et nos quidem his sordibus quibus lex nostra non satisfaciatur, eos enim reducere, oportet qui inutiles sunt, non retrahere bonos, vt qui nec fide nec pietate persuadent, scire cogantur, animos nostros esse æternos. Quæ ergo æterna sunt alia vicissitudinem patiuntur, velut anima, alia non, velut Dij. Vitæ vero Cælorum non ex Cælis, sed Cælis præficiuntur: nihil enim nobilius, ab ignobiliiori. An verò in eadem? certe non, sed velut alia semper in diuerso loco exoriuntur, & occidunt.

17 Interim verò cum elementa sint, plantis alimentum, animalibus plantæ, hominibus animalia, erunt & homines aliis. Non autem Diis, nimis enim remota est, eorum natura à nostra, quapropter dæmonibus. Quod si corporei sunt, vel cum corpore etiam secundum corpus, alimentum præbebunt; qui sermo communis est, in his qui dæmone correpti sunt. Idque etiam Platonici affirmant: quare in sanguine erunt, & ex eo nutriuntur, scdum, vt nobis videtur, alimentum. Sed & nos cruenta vulnera animalium comedimus, quod Porphyrius reprehendit, & abominatur, tabes enim quædam est. Et quæ aliis abominanda viderentur, vsus obtinuit vt cuperemus. At si incorporei omnino sint? Spiritus est eis alimentum. Versantur autem nobiscum, vt nos cum canibus, plus nos docentes quam nos illos. Verum tamen qui sint, quamdiu versati cum eis non agnoscimus, sed aliquid esse intelligimus. Similitudinem autem habent, non ad alimentum, sed ad necessitatem, alimentum enim corporibus conuenit, quoad tamen ergo vt puer sapienti, & dormienti dum somniat, & præuidet vigilans. At mortuis viuentia non alimentum sunt, nec aliquid huiusmodi, non igitur Genij mortuorum ani-

mæ. Vnde Antonius Genios ab anima distinxit.

18 Ergo si incorporei sunt Dæmones nec quantitatem habent, nec numerum nisi iuxta nostram cogitationem. Si corporei, numerosi erunt. Videntur autem hoc magis cum vitis cælestibus sint, inferiores. Videntur autem esse non vnus modi, sed si vitæ plurimum inter se differunt, homines multum, & tamen longè minus, plus longè Genij inter se different. Cum verò natura eorum nobilis sit, & ambitiosa, pauci dignantur hominum consuetudinem. Inter homines vero rursus pauci natura familiares, vt canis hominibus, ipsis Geniis: multi auerlantur eorum consuetudinem, quidam prorsus abhorrent, non secus ac serpentes, & pisces ipsos homines, his de causis pauci homines genii sunt familiares. Neque ipsi ad nos accedunt nisi, velut pueri morituris belluis, scilicet ex his ignobiliores, ad interitum urgentes, oportet autem non carere, eos vitio quandoquidem tales sunt (si non cælestes sunt) & corporei. At perturbationes illorum, vehementes sed exiles, & quæ proximæ sint, virtutibus quales diuitum, scilicet cum æstu animi laborant, & languent. Carent ratione, & sermone cum sint alterius generis ab homine, atque ab illo plus distent, quam quivis homo ab ignobilissimo verme, attamen quidam ex his à quibusdam hominibus superantur: Velut hominum quidam vermibus propiores, aut apris quàm humanitati. Sed velut omnis homo ratione tamen præcellit, cuncta animalia atque ea in parte excellentior, etiam si sit stultus, & obesi ingenij, ita Genius omnia *μεγαλειότητι*, cuncta solet atque ideo intima rerum, vt quisque eorum toti humano generi præferatur. Eadem ratione, & iuxta naturam propriam vnus alius illuminat. Ergo & rebus quas norunt (facta siquidem præter tæteras) & rerum originem essentiamque tum proprietates) & modo cognoscendi mirum in modum, nos antecellunt. Discere tamen contingit quod cælestes non sunt. Atque hæc est opinio, Stoicorum demonstratis propior quam cæteræ Philosophorum aliorum.

19 Natura vero nostra dum à corpore anima aliquanto abscedit, seu per somnum matutinum, seu per ecstasim, seu dum morti appropinquat tum verò, & per abstinentiam, & vanitatem perturbationum, & etiam per vigiliam commotis imaginibus, sensibilibus spectra videt, & futura cognoscit, & admiranda contempletur, & à dæmonibus adiuuantur, qui per figuras, & ænigmata docent, quoniam non est, vt dixi, sermo idem nec reliqua per quæ scimus. Indicio est quod plura, & mirabilia circa hæc contingunt, & his qui fama maxime noti sunt, nam aliis vtique contingerent, si ex naturalibus causis ortum haberent, natura enim æqua est, puerisque videmus mendicantium nulla ex parte regum filiis dissimiles.

20 Prudentia verò quippiam est in nobis ex mente, & sensibili parte, interiore confata, nec belluis quæ mente carent, nec Diis qui sensibus, communis: vocaturque. Intellectus Præcticus. Itaque qui eo valent opinionem habent, non autem scientiam. Et opinionis alia

alia est vera, alia falsa, ergo in scientiis turpe est, inniti opinioni, vt ait Hippocrates. Quam obrem nemo ob sensus, & materiam immunitis est à peccato, & errore: tum maximè tam longè à diuinis recedentibus. Etenim liquet hominem primum esse in ordine intelligentium.

21 Quæ autem extra cælum? si nil: nil est, & non esse: ac hoc demonstratum est, esse non posse. Si incorporea, quid illa, nam vacuum esse videtur, nec par est, secundum continuitatem incorporea corporibus iungi, quæ nihil addunt: adiectio autem auget si corpora mobilia, cælum infinitum erit, & infinita monebitur velocitate. Sin autem immobilia, frustra erunt, corpora enim frustra sunt, quæ quiescunt. Hæc autem difficillima quæstionum. At quodcunque ponatur hoc quod est, penè nihil erit, si reliquum est infinitum, nisi numero rem augeamus, vt mundos infinitos existimemus, quemadmodum Apolloniates, Diogenes primus, post Epicurus, & medius (Alexandri ætate ob quem ingemuit, quod nec vnus esset Dominus) Anaxarchus, ex autoritate Democriti præceptoris sui. (Nam quod Origenes per successionem constituerit, infinitos in *ἐξ ἄπειρο*, tam absurdum quam non necessarium ideoque falsum) vt equidem in magna rerum claritate, scilicet eius quod est, semperque fuerit, velut oculis bubonum, & noctuarum hallucinemur. Itaque infinitum est, in quo est, non autem spatium vllum, siquidem, vt dixi, nullum est quod sit, non esse, vel inane, vel huiusmodi, quoniam hæc non sunt. Atque ea est causa, vt potius tota Orbis machina dissoluatur quàm vt inane sit, aut admittatur: non ob rationes Aristotelis, sed hanc ob ipsam, quod admitterentur infinita absurda, quæ omnia supra explicata sunt. Non ergo est, in spatio mundus, sed in mundo spatium, factum autem esse mundum, & si æternum, palam est. Et si enim aliquando factus esset, æternum est, in quovis instanti: idèd semper fit, vt vestigium pedis in arena à pede qui sit in illa.

22 Æquauit autem sic omnia: in mortalibus, vt quantum cognoscèrent, dolerent ac lætarentur: limatum parum lætatur parum etiam dolet homo contra. Parque ratio etiam singularum, in eadem specie. Et longa vt consuetudo minus afficiunt in vtroque. Immortalia vt quantum essent, beata tantum communicarent inferioribus. Quæ Lex ab ipso Deo proficiscitur. Mortalia immortalibus, vt in nobis ex vicissitudine voluptas geminaretur. Vnde immortalibus nulla nouitas, & perpetua securitas, vt omnis doloris est expers, ita hoc ipso minus iucunda quod reditum, ex dolore non sentit. Sed hoc tamen ad imperfectionem pertinet: nam hæc voluptas vt maxima est, ita sordida. Sic felicissimi viri æquata iucunditas paruo tempore cum æterna vltima vitæ. Aliarum autem nulla est comparatio, sed sunt sublimes.

23 Quæritur in quibusdam, cur Deo contingerit vt esset primus, perfectus, & hoc demonstrato cur Deum esse contingerit. Sed frustra, nam ipsi necessitati conuenit, vt sola esset perfecta, & absoluta, & esse ipsum, & infinitum, & primum, & optimum. Nam

si oportuit talem esse, non si per necessitatem, ipsa ergo necessitas prima omnium, & absoluta, quapropter hæc est ipse Deus. Non ergo Deus est infinitus, aut necessitas, aut primus, & principale, sed necessitas principalis, & Deum, & absolutus, ac reliqua est, quam Deum appellamus. At dicis cur huic conuenit, vt esset necessitas Deum ostendendo? si modo ostendi potest? Dico hoc est, quærere cur hæc necessitas, quæ necessitas ipsa est, (oportet enim esse ex ipsa rerum constitutione quæ ipsa necessitas) sit necessitas: hoc autem cum in aliis sit perabsurdum, vt cur veritas, aut albitudo sint veritas, aut albitudo, quanto magis de necessitate ipsa, quæ est esse ipsum, & omnia complectitur. Hæc enim quæstio est, quoniam falsa mentis ratione imaginamur aliquid aliud esse, præter necessitatem, ac non est, sed ipsa necessitas omnia complectitur.

24 Ea verò, vt habet potestatem, & sapientiam, & amorem, legem indixit, in omnibus quæ ab ipsa producuntur, ipse verò est, ipsa lex vt simile sibi generent. Pater quidem in hoc subministrat potestatem, filius scientiam similitudinis, amor autem delectationem, & hæc est operatio, idèd operatio omnis propter formam, non autem forma (miror de Aristotele) propter operationem.

25 Apparet igitur quomodo rectè dictum est, à Philosophis, & Theologis, Deum cuncta esse. Et rursus, duos esse fines producendi formas. (Quod cum latuerit Aristotelem causa fuit maximorum errorum) vnum, vt causa seu forma prior ipsa absolute, in quo, vt dixi, est summa delectatio. Non enim in eo quod producitur, quia non cognoscit, sed in eo producit, cum quo est cognitio, voluptas est. Atque finem alterum formæ scilicet operationem esse, vt ipsa delectetur. Sic vt comparatio ad priorem formam sit, vt delectet, vt ad posteriorem, vt delectetur; idèd parentes necessariò diligunt filios, filij non nisi ex lege proposita parentes. Patet etiam quod maximè naturale est cunctis generare sibi simile. Adèd vt nitrum etiam generet nitrum, & plumbum plumbum. Omnibus præterea rebus inesse delectationem, quanquam in terra obscurissimam.

26 Vltima ergo operationum quæ in imperfectissimis etiam est, est sibi simile generare, ob id quoniam actu non possunt, ab initio, potestate generant, vt semen quod & in plantam, aut hominem euadit, quædam non perficiuntur vt mulcarum forsan vermis, nam hos pariunt; hoc autem non aliud est, quàm extremæ imperfectionis argumentum. Quidam tamen perficiuntur. Sed quid tunc mirum est, cum plus semen ab homine differat, quàm à mulca vermis. Eadem autem ratione delectatio maxima in venere, omnis enim operatio huiusmodi, & propter opus, & propter operantis voluptatem. Tria ergo cum sint in homine, corpore, forma, & vltimo est, sibi simile generare, sensus sentire, intellectus intelligere. Hæc autem operationes sunt, ob formas, velut videte, vt oculis delectetur: oculus autem propter animal.

27 Formæ quoque alix incorporeæ, veluti

Inti Deus, aliæ ad corpora æterna, velut vitæ, aliæ ad mortalia, velut animæ, aliæ corpore, velut carnis mortui animalis forma omnium, vt dixi, communis est propagatio. Incorporæ generant, perfectissimum potestque similitum actu vitæ verò cœlosum potestate similes, actu autem idem efficientes longè meliùs, atque exquisitius quam anima cum corpore, siquidem ambo immortalia, & simplicia, at hic vnum immortale, & simplex, alterum compositum mistumque ac mortale. Animæ autem à vitis, forma verò materiæ generat primum potestate simile, inde actum perficiunt. Commune est autem omnibus quæ sunt in materia, vt animalibus, & formis corporeis, quoniam exui materia timent, vt querant propagationem in illa bifariam, & tuendo eam quam possident, & aliam occupando. Atque hic mos est ingenuus cunctis secundum naturam, equus & vermis tuentur se, & alios generare appetunt, & generando delectantur quia forma vtraque incorporea corporeaque extendi maximè appetunt, quod in se constrictæ sint.

28 Esse autera in singulis vtrasque clarum est, nam vel vna est tantum, vel duæ pluresve, & si duæ aut ambæ, incorporæ vel ambæ corporeæ, vel vna corporea altera incorporea. Duas incorporeas nullam corpoream dicere absurdum sensu repugnante, duabus corporeis ratio: nam videmus cum vna forma inducitur, aliam interire, eodem modo, & quantitate qua illa inducitur. At non esse vnâ formam carnis, & animæ qua viuunt ostendit experimentum, quod arbore mortua lignum perinde manet, vt diu dubitemus an etiam viuat. Vna igitur est forma corporea altera incorporea.

29 Quo circa dubitandum, cum sensus anima in homine atque intellectus adsint simul, an vna eademque sint? Aristoteles variè locutus est, vt qui demonstrationem huius non haberet. Videtur autem vna esse cum illo, non autem antecedere, nam cum illo dereguntur facultates non adueniunt: id ei contigit, vt Platoni aduersaretur. Optimè enim ille censuit corpora esse propter animas, non ex illis. Experimur enim nostram simplicitatem, nec aliud esse multiplex, in nobis præter corpus. Hoc autem quod intelligit, vt dixi, vnum est, & omnia.

30 Cuius ergo causa homines? non magis cognitionis Deorum, quam rustici cognitionis regum: at multo plus Dijs præstant hominibus, quàm reges rusticis. Neque vt hæc inferiora regant: cum destruant, omnia potius quam seruent, pauca è multis, vt boues, sues & gallinas educant, sed quam miserabili illorum animalium sorte, vt melius esset agrestia omnia esse. Finis ergo est perfectio agentis, vt dictum est. Hominis autem animæ, vt in materia explicetur, & plura regat, & pluribus imperet. Eius autem causa tres illi operationes, totidemque voluptatum generata concessa, sibi simile volare, percipere, intelligere. Vt etiã ad principium regrederetur.

31 Sed an animalia hominis gratia? idem est querere, an anates aquilarum? & iis enim illæ vescuntur? Non, sed id accidit, vt quemadmodum vitæ, vitis subiiciuntur, ita corpo-

ra harum animarum illis animalibus. Neque enim vllum animal certo genere solum vescitur. Ex genere enim alimentij, viliorum animalium corpora, sunt nobiliorum, propter quæ illa persequuntur: non ergo anima equi propter hominem, sed corpus, & illius opera.

32 Vt igitur esse possent ac diu manere, vnaquaque anima sibi fabricauit corpus, instrumenta, & functiones instrumentis, & corpori necessarias, & materiam ex qua aleretur præsupposuit, cum vt dixi omnem numerum perfectionis, in illa absoluisset, numeris certis quasi species distinguendo. Verè autem continua serie à summo ad infimum ob latitudinem temperamenti atque perfectionis.

33 Quorsum ergo materiæ hæc? vt animæ explicarentur, & delectarentur, propriis operationibus quas præter corpora non habent, quoniam operatio maior est, quam facultas, & obiectum etiam circa corpora versatur: velut videre, quatenus est cognoscere corporeæ formæ, conuenire non potuit, quatenus ad accidens, & superficialia non poterit, esse solius animæ. Vinculum autem animæ cum corpore vita est mortaliū. Et vitæ quidem diuersæ sunt, ob materiæ primæ diuersitatem ad quam fit animæ comparatio quam adiuuant? varietas formarum corporearum, & accidentium, & temporis, & parentum atque similitum.

34 Formæ autem materiariæ extenduntur, iuxta materiam, idè diuiduæ. Animæ verò omnes indiuiduæ, sed alia ratione. Vegetatrix, inquam, quoniam in salice, & furculo qui satius est, plantæ magnæ satisfacit extensa: Diuidi tamen potest, & seorsum vitam diu producere. In testudine autem anguilla, & vermè quadraginta quatuor pedum alia ratione, & cum illa, & inter se diuidua est, superuiiunt enim diuisa, sed non generare possunt. Sic & lacertæ, caudaque præcisa sentit, si pungatur. Extenduntur ergo, sed sine quantitate esse dicunt, quia nullam sibi definiunt. Humana verò tum quia in solo corde est quoniam semper mouetur, vt cœlum, quapropter & hominum sensus alterius sunt generis quam cuiusuis animalis. Indiuidua ergo est mens, vt & vitæ. Et vitæ in toto orbe sunt, nec quantitatis expertes, nec numeri, nam mouent, igitur vi sola, aut essentia? si sola vi? vnum non est, quod mouetur, si in vna parte esset, vt in humano corpore pars mouens, & mota. Recedit autem à corde cum mouere non potest: mouit autem calore, calor autem à spiritu, quo deficiente seipsam colligit. An verò vehiculum ei coniunctum sit, inquirere forsitan non est necessarium. Sed reuertor ad formam. Et dico quod forma ligni acquiritur secundum magnitudinem, pars ante partem, non tamen incerta parte sit augmentum, sed forma illa extenditur, maiorem occupans materiam. Non sic cum paries dealbatur, aut ferrum igitur: nam pars ab vno latere prius dealbatur, aut igitur. Verumtamen quia in corruptione etiam viuientis plantæ, aut animalis pars ante partem corrumpitur, non est dicendum, quemadmodum de anima, quod sit

indiuīdua ad illum sensum. Sed dices, si pars plantæ viuētis desinat, per ignem accēsa esse animata, quamuis tota planta reliqua sit animata, nonne anima illa corrumpetur pro parte? Quia si incisione, non contrahitur, ad reliquā partem, igitur non habet hanc vim, quare nec in aliis, utpote exultione, corrumpetur igitur anima? Hic igitur duo sunt, obseruanda ne in errorem incidamus: Primum quodd possit euāescere, & non corrumpi, ut etiam elementa, sed illa postmodum corrumpuntur, quia ea natura sunt: non ita anima vegetatrix quæ est, vehiculum cœlestē. Aliud quodd possit aliquis dicere: illam animam esse extra plantam, sed vitam solam cum facultatibus, & functionibus, ibi esse, quod cum de animalibus defendi possit, quantomagis de anima plantarum? Vt anima sit sicut Sol, & quod est in plantis, ut eius lumen. At non sic de homine cum cognoscat, se esse qui cognoscat, ideo principium illud est in ipso. Et si opponatur, quod etiam in illo potest corrumpi brachij sensus, & vita, & substantia, dico, ut supra, quodd illius anima est in corde: idē nulla pars eius potest, nec corrumpi quia immortalis: nec abigi, aut separari quia toto discedit, & ita erit indiuīdua.

35 Quid igitur tandem homini post mortem an vnus an multi? cum ut dixi, anima partim indiuīdua sit, partim diuīdua, atque alia ratione, ut in plantis, nunc autem de humana sola quæstio est, cum sit natura medīa, & extēsa partim vna est, partim numero diuisa, refertur enim ad vnum principium, sed est propria cuiusque etiam natura. Verum ut forma est, apperit coniungi corpori, ut exempla aliarum facultatem quā intellectus opera. Ibi enim intelligit, & perfectus sed non tot quorū hic, nam sensilia per sensum cognita etiam intelligit, velut rationes eorum, & musicæ rationem. Ibi verō alterius longē excellentioris.

36 Concludo igitur quod nil interit: Nam non cœlestia quæ etiam mutatione carent, nec mortalia cum materiæ, & formæ manent. Tametsi enim caro cerui corrumpi videatur: post illius mortem, dupliciter nos fallit sensus: Nam existimamus eam separatam esse; à carne aliorum ceruorū, cum vna sit, sed locus partes diuidit. Quod si in ceruo vno caro cruris pereat, non dicimus formam carnis in ceruo periisse, nam de tota perspicuum est: de parte autem quod verisimilius videtur, neque id, quoniam ab initio tota in vno quasi puncto concreta fuerat, & tamen tum nil periisse poteramus suspicari. Extēsa ergo non aucta, & nunc contracta non corrupta illa. Sic etiam fallimur cum carnem mortui nuper cerui carnem esse putamus. Quamuis enim sensu parum differat: à priore, intelligimus tamen magnum esse discrimen, quod non sentit nec nutritur, ut illa. Non corrumpitur ergo forma, sed manet: cum materiā nobilior sit quæ manet, & æterna est, sed in potentia, forma verō in actu etiam. Solum eo priuatur actu quem habet, ad materiā hanc. Hæcque est compositi corruptio quoniam in perfectum esse non habet. Sed nec illud corrumpitur, sed desinit in potentiam quæ similis est actui quem compositum ha-

bebat. Cui enim ego interiero, remanebo actu in forma humana potestate in hac materia. quæ cum iterum iungentur, idem ero. Neque enim infiniti possunt esse homines, sed infiniti eorum circuitus. Per absurdum enim est, in materia finem habente, velle substantiam temporis beneficio, in infinitum augere, atque extendere. Verum eadem manet & circuitu, quemadmodum cœlestis dies noctesque, est enim accidens repetitum infinito. Sed seu vita sit in nobis, & corrumpatur, animus autem extra, ut lux, seu intra, & velut lumen solis, omnino nihil quod est corrumpitur, sed ipsa in quibus sunt. Caro autem mortua non est aliquid præter elementa, non enim vllas habet vires actiuas præterquam elementorum, passiuas autem plures, vnde medicina. Itaque corrumpitur quia esse nullum habet, sed solam missionem.

37 At intelligo quæ mihi obici possint. Primum quod videamus sensum generari multa, ut puerum in vtero, aut ergo generatur ex semine, aut semen iam genitum. Nam in sterilibus, non generatur, igitur generatio est. Præterea aut moriendo corrumpitur forma: & sic habetur intentum, aut manetur. Si igitur manet nec est materia, est separata & materiā, quod esse non potest. Si prorsus materialia nihil esse nobis superest à morte, & redimus ad Auerois opinionem. Rursus operationes sensum desinunt numero, & robore antequam corrumpantur, igitur animæ substantia paulatim absumitur, & corrumpitur tota denique. Est etiam mutatio in qualitate, quantitate ac loco, igitur etiam in substantia, igitur corruptio. Quæ etiam relinquuntur proprietates ab animæ separatione, ut thabarbaro, & pæonia non sunt, ex sola missione, cum multa alia calidiora, sicciora, tenuiora neque appensa comitalem morbum prohibeant, neque epota bilem expurgent. Demum potentia est, in materia ad omnes formas, sed superueniente agente vniuersali scilicet, calore solis, non est necessaria tertia causa, quia essent duæ in eodem ordine, igitur anima nulla præest. Ad hæc dico quod semen generatur, non aliquid ex semine. Vel dico, quodd tam semen quam animal habet animam extra, & vitam in se, & est substantia alia à misto ex elementis per animam illi coniunctam medio vitæ. Ad aliud dico quod forma in animalibus est, in materia omnium, & ideo non intelligunt quid agant, quoniam obruitur ab illa: in homine autem est separata etiam dum vivit, & multo magis post mortem. Et est eius operatio sicut de semetipso considerantis dum vivit. Ad id de operationibus desunt sensum ratione instrumenti, non substantiæ animæ, quod patet in his qui à morbis resurgunt, in quibus tota operatio quasi statim restituitur, & memoriæ præcipue, potius quasi subducto velamine quam restituta. De mutatione est in illis quia in accidentibus; quia, ut dixi, non habent esse perfectum. De proprietatibus sunt, mistorum sub eadem non solum elementorum, & quantitate mensura sed etiam fractura. Et hæc esse causa quodd multa alia temperamento eidem proxima sunt, expertia harum

harm virium. Et hoc demonstrauimus in libro de venenis. Habent enim antipathiam, vt per calorem naturalem ad actum deducuntur. Hæc enim duo ab animæ separatione superant, & ad illam introducendam seu vitam potius sunt necessaria, tum calor, sed ille semper cum vita perit. Et quamquam perit etiam mensura tum elementorum tum fracturæ, hoc tamen non est, necessarium. Ad id de potentia dico non sufficere quia oportet primo, vt ad sit agens proprium: non enim mulier, & sol generant hominem, sed necessarium est agens etiam proprium. Proponamus ergo mentem Peripateticorum quæ est, quoddam vis solis præparat materiam, & inducat animam quia omnes illæ formæ sunt, in anima solis. Et generetur mus ex putredine quia in talibus est magis manifestum. Et postquam non est aliquod agens proprium, oportet vt accidens scilicet calor solis sit causa substantiæ scilicet animæ illius. Et anima solis illa vilescit continens formam muris, & scarabei. Et etiam quomodo erit vna in specie si mus, & scarabeus sunt diuersæ species? Præterea intendet primum quæ sunt ad finem ante finem ipsum, scilicet membra opportuna operationibus animæ quæ nondum genita est. At quanto remotior est ab omni absurditate nostra, & facilis demonstratio: quia animæ illæ omnes sunt, per ordinem constitutæ in mundo incorporeo cum suis operationibus, & licet careant semine, sunt tamen in actu, & cum occurrit materia idonea vni illarum, format auxilio caloris solis qui materiam disponit, vt recipiat formam animæ, velut figulus per ignem componit materiam myrrhini vasis ex pluribus materiis componendo, attenuando, miscendo qualitates, frangendo, vt possit recipere formam vasis: ita illa fabricat membra sibi idonea ad operationes, quia est in actu perfecto in aliis partibus materiæ, & semper eas exercet: hic vero est iam actu imperfecto ad vltimas, sed tamen per vitam coniuncta operationes. Et Aristoteles non reliquit istam opinionem nisi, vt contradiceret Platoni, sperans vulgum sibi assensurum, quoniam est magis secundum sensum. Sed vt dixi, sensus decipitur in huiusmodi.

38 At opus suum quod, vt dixi, omnibus commune est, scilicet generare sibi simile corpori iuncta facit. Et vt amicus amicum, aliam ad corpus animam trahit. Separatu vero contristatur, vt terra extra locum proprium. Ita naturæ hæc mediæ, & ad corpus pronæ nec vt separatæ, simile perfectione producere possunt: nec vt vitæ alterius generis animas ad materiam ponas: nec vt cum sunt materiæ coniunctæ totam quiddam simile: sed velut eunuchi inani desiderio interim torquentur, cum vero redeunt, eundem producant hominem vere ac magis si eidem materiæ iunguntur. Quod si similibus cum reliquis etiam omnino per similem. Hæc igitur quæ de anima post mortem dicta sunt, minimum sunt eorum quæ dici possunt. Videntur autem genij id efficere, vt vltius multa esse credamus. De quibus haud dubito, sed de his abunde in Theonosto.

39 Demiror satis hominum pertinaciam  
Tom. I.

atque stultitiam qui partim falsæ Philosophiæ principiis imbuti nihil de rerum origine cogitant, partim religionem simulantes Epicuream vitam viuunt, existimantque id summum esse humanæ vitæ commodum perpetuis delitiis frui. Quamquam nec in hoc quem profitentur, sequantur, miserima enim est vita velle omnes haurire pompas, ludos, iocos, denique tam priuatis quam publicis impleri voluptatibus, cum primum idem tempus non possit seruire duobus: deinde corpus enervetur, tempus ita diffluat vt non sentiat mors quæ ortui est coniuncta. Et quæ, nam voluptas esse potest vbi nullus est fructus operæ? nec adest desiderium, & indigentia, sed quasi nausea affluentium voluptatum. At contra si quis sectandam virtutem vinat, studiis sapientiæ incumbat, & cogitet quali sit deductus origine, incolumi cum vita longius beatæque viuet: nec fortunæ inconstantis casibus subiicietur, & immensam sentiet voluptatem, quippe incorporea, & diuina non quemadmodum mortales illecebræ obrundunt sensus, & implent vasculum animæ. Ergo mortales respicite, & breuitatem huius vitæ cogitantes originem vestram querite. Deum, virtutem, sapientiam colite atque amate, mementote aternæ vestræ originis perpetuæque vitæ. Nam nec moriendo desinitis nec viuendo sumis præstantiores, sed ex pleniora vita in nitidiorum quasi reuiuiscetes. Et rursus ex quietiore in turbulentam exercitationem commigantes lætum bonis nuncium, improbis autem suspitione plenum referunt.

40 Cæterum finis ille alius est, vt tot sensillum cognitio pulchra in quibus dignoscendis incorporam mentium vilesceret operatio non interiret, velut calidi, frigidi, sicci, humidi, duri, mollis, grauis, leuis, asperi, lenis. Saporum quoque atque odorum, tum harmoniæ ad similitudinem cœlestis tripudij constitutæ, tum vero calorum, atque lucis pulchritudinisque cœli, variarumque formarum, nemorum, sylvarum, pratorum, totque plantarum, & animalium quadrupedum, avium, piscium, serpentium, artificiorumque præcipue, domuum, urbium, humanorum ornamentorum, simulque voluptatum quæ ex his percipiuntur, quas tanti referunt mortales, nec non cogitationum, rationumque nostrarum, atque eorum quæ imaginamur quæque intelligimus aut fingimus: velut numerorum, & passionum, magnitudinum, vt de his ad mentes referretur cognoscerenturque simul actiones nostræ per cognitionem eorum à quibus procedunt. Nec necesse fuit vt numero seorsum destingerentur animæ nostræ, sicut neque digiti neque cœli partes, nam infinitæ essent, quia maius atque minus accipere licet ac diuidere: quam vna non sit alia, & quodam modo suum esse habeant, sed in vnum omnes conueniunt.

Nec mirari oportet si de his absolutam omnino cognitionem habere non possimus, quandoquidem non solum in his sed etiam in corporeis immortalibus multa sint nobis dubia, aut non perfecte cognita: cometarum visio, Lunæ tum macularum vmbrae



vnde deliquum, debuerant enim quæ necessarium habent esse ab ipsa necessitate quæ, vt dixi, infinita est non relinqui aliqua ex parte. Similiter & superficies indiuiduæ quæ vnâ efficiunt superficiem, quomodo in diuersa moueri possunt? Et si vnum actum sunt, potentia verò plures quomodo diuersis motibus actu agi possunt? Et substantia ipsa cælorum quæ multo tenuior aëre esse videtur aded concrefcere, vt sydus solarem lucem, velut speculum eam integrè reflectat, denique in quo reuoluitur extrema illa vltimi orbis superficies? Hæc atque talia huiusmodi. Sed quid mirum de his, cum etiâ in mortalibus quædam non sint abunde perspicua; velut illud: cur herculeus lapis ad orientem deflectat à boreali polo, ferrum quod eo intingitur nouem partibus, idest quadragesima parte totius orbis. Sed hoc forsan immortalibus proximum. At verò de anima dubitatio maior erat, ne non corporea censeatur, cum

eo nobilior sit quo magis vna, nobilissima humana, & elephantis, inde auium quarum colla aliquamdiu abscisa viuunt, & anguilla, & Polypus terrestris cuius partes in diuersa mouentur, & salicis, nam cum nobiliores maiore in vnum consensu sint, corporeæ esse videntur, & ex corporum facultatibus constata: quæ quanto magis in vnum consenserint præstantiores euadant, iuxta quinque ordines dictos. Forfan: velut lux quamquàm immortalis, vt densior eo validior. Aut quod verisimilius est hoc ex recipientis natura accidit, vt in corporibus his spargatur, in illis colligatur: velut in cauis speculis. At hoc ipsum argumentum est, immortalitatis eius, quamquam appareat quod extra sit, adeo rem paruum esse immortalitatem, & exiguam illius speciem concessam his quæ cognoscuntur, velut cælum, lux, atque animæ, omnium enim vna ratio.

*F I N I S.*



**DIALEC**